

substantiæ, illud etiam substantia dicitur. 2. Itaq; limbo pronun-
 ciatum; quod in uno est accidens, idem ipsum, eodem
 modo se habens, & in eadem significatione, in altero non est
 substantia. Calor v. in ferro & calor ignis non habent se eo-
 dem modo, non n. competit ferro naturaliter, per se & neces-
 sariò, ita ut sine eo nec esse, nec concipi possit, sed est ei ad-
 ventitius & accidentalis. Contrariâ a. ratione se calor ignis
 habet. Calor est in ligno, ut accidens in subjecto, non ita in
 igne, *V. §. 14.* nec unâ & eadem significandi ratione calidum
 dicitur, quod per se & per naturam suam, & quod per acci-
 dens s. per adventitium calorem est calidum. Sicut Ens per se
 & per accidens; Unum per se & per accidens, æquivocè di-
 cuntur. *V. d. loc.*

16. Porrò dices: substantiis nihil est contrarium *l. Ca-
 teg. c. de Subst.* Calori a. frigus & huic ille est contrarius. E. non
 erunt dicendæ substantiæ. Resp. Substantiis nihil esse con-
 trarium dicitur, sed illud nec explicatur, nec probatur. Libro
 a. Categoriarum inaccurato & dubio, accuratos & indubita-
 tos Aristotelis libros opponimus, ubi substantiam substan-
 tiæ esse contrariam asserit. *l. 2. de Gener. & Corr. c. 8. Conf. d. l. c.*
 3. hinc & elementa ipsa contraria sibi invicem esse, & formas
 illorū seu differentias contrarias esse passim asserit. It. *l. 1. Phys.*
 fusè docetur principia substantiarum naturaliū esse contra-
 ria, at principia illa omninò sunt substantiæ: homo etiâ & e-
 quus contraria dicuntur *l. 4. (5) Metaph. c. 10.* Nā & substantia &
 contraria multis modis dicuntur *V. l. 4. (5) Metaph. c. 10. l. 10. c. 4.*
 Toti quidem Substantiæ compositiæ nihil est contrariū, quat.
 contraria dicuntur, quæ ratione ejusdem subjecti maximè
 distant; ita n. substantia, quæ contraria habet, potiùs subje-
 ctum contrariorū est, non a. ipsa est contraria; item substan-
 tiæ maximè dictæ, Deo, nihilest contrarium; differentia a.
 for-